



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.  
Thomae Aquinatis**

**Nazarius, Johannes P.**

**Coloniae, 1621**

Qvarta Controversia. An terminus vnionis seu Incarnationis, vel  
assumptionis sit aliquid creatum vel increatum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

ratio formalis terminandi; & hoc est ipsum esse personale Verbi relatiuum & increatum: alterum est modus siue conditio, sine qua terminus vnionis formalis esse non potest, & hæc est communicatio seu applicatio eius vt termini, ad humanitatem. Et quia principale quod in termino consideratur est ratio formalis terminandi, ideo simpliciter & absolute loquendo de termino formali vnionis hypostaticæ, dicimus esse aliquid increatum: Igitur ad argumentum negatur illatio: nam licet subsistere Verbi, vt communicatum humanitati dicat aliquid creatum ratione communicationis, que est conditio termini: non est tamen aliquid creatum quoad ipsam formalem terminandi rationem, quæ præcipua est in ipso termino.

Ob. 2.

*Secundo* hæc vnio licet formaliter sit immanens; tamen virtualiter & terminatiue est actio transiens; sed terminus cuiuscumque actionis diuina virtualiter transeuntis est productus & creatus; ergo. Minor probatur: Quoniam vt probat S. D. in 1. p. q. 27. a. 5. duo tantum sunt termini improducti per factionem & creationem, scilicet Filius & Spiritus sanctus: quia procedunt ad intra per actiones pure immanentes intellectus & voluntatis: ergo omnis alia actio Dei habet terminum productum per factionem & creationem. *Resp.* falsam esse minorem. Nam, vt supra diximus, actiones vnitiuæ vt sic, non habent terminum productum, & præsertim loquendo de termino formali. Ad probationem negatur consequentia; nam ex illo antecedente sequitur tantum omnem terminum quacumque alia actione productum, esse creatum & factum, non autem omnem terminum alterius actionis ab immanente diuersæ esse aliquid creatum & factum; quoniam actionis vnitiuæ terminus formalis potest esse aliquid increatum, vt antè diximus.

Sol.

#### QUARTA CONTROVERSA.

*An terminus vnionis seu Incarnationis, vel assumptionis sit aliquid creatum vel increatum?*

Sententiæ  
Doctrinæ

**V**As *disp. 18. c. 5.* dicit tria: *primum* est vnionem vsurpatam pro vnitate, quæ est terminus actionis vniedi, esse quid factum & creatum. *Secundum* est, falsum esse quod ait Caietanus; nimirum vnitatem duarum naturarum in Christo esse quid increatum. *Tertium* est; quocumque modo velimus explicare vnitatem & conuentum duarum naturarum in Christo, totum illud compositum, quod in tempore incipit esse & re vera producit, esse quid creatum; non quia quodlibet componens & ad constitutionem illius concurrens creatum sit; sed quia compositio aut ipsum compositum ex duabus fit factum, productum & creatum.

Caiet. in *a. præcedenti* docet vnionem pro relatione esse ens reale creatum; vt ibidem ait S. D. vnionem autem pro coniunctione seu vnitate naturæ humanæ in persona diuina non esse aliquid creatum, sed creatorem. Quod vt verum defendunt Med. & alij recentiores discipuli D. Tho.

Suar. *disp. 7. sect. 5.* dicit tria. *Primum* terminum huius vnionis ex ea resultantem seu per eam productum esse quid factum in tempore per veram & realem actionem, & in hoc sensu esse quid creatum. *Secundum* est; si loquamur cum Caiet. non de termino adæquatè resultante ex vnione, sed de vnione duarum naturarum in subsistentia Verbi appellando subsistentiam vnitatem, quia

A in ea vniantur duo extrema, hæc sine dubio in creata est. *Tertium* est vnitatem hanc non esse terminum productum per vnionem, sed esse terminum terminantem humanitatem, & improprie dici vnitatem eorum, quæ in ipsa vniantur.

Astur. in *sua q. 7. de grat. Christi, pag. 869.* tria dicit *primum*: Si de termino totali sermo fiat nec creatum quid est nec increatum, si rem ipsam attendamus; quoniam includit Verbum & humanitatem, quorum alterum creator est & alterum creatura. *Secundum* si ad prædicationem attendamus; cum Christus sit Deus & ipsa Deitas, verè de illo dicitur quod est creator: in huiusmodi enim prædicationibus Christus accipitur quasi materialiter pro supposito, quod sine dubio increatum est. *Tertium*: si de termino formali & principali sermo fiat, absolute fateri oportet, quod huius vnionis terminus increatum quid est. Quem dicendi modum sequitur Aluar. *disp. 13. concl. 2. & 3.*

**B** Huius *Controu.* definitio magna ex parte pedit ex ijs, quæ notauimus in *1. ad hunc art. controu.* Vbi duplicem esse diximus actionis terminum: alterum totalem & adæquatam: alterum vero formalem; quorum terminorum differentias ibidem explicauimus, ostendimusque terminum Incarnationis, assumptionis & vnionis totalem esse substantiam compositam ex persona Verbi & humanitate, siue Deum aut Verbum esse hominem; terminum autem formalem diximus ex

**C** D. Th. esse personam, vel subsistentiam Verbi, vt connotat in obliquo humanitatem, cui se ipsam communicat.

Ad cuius euidenciam & præsentis contr. resolutionem, sciendum est *primo*, vtrumque terminum scilicet totalem & formalem à Theologis appellari vnionem seu coniunctionem & vnitatem. Et terminum quidem adæquatam his nominibus significari patet ex ijs, quæ diximus in *alleg. Contr.* Terminum autem formalem eisdem vocibus appellari docet in *a. præc.* Caiet. quem alij sequuntur Thomistæ recentiores. Sed quia Suar. dictis nominibus formalem terminum, scilicet Verbi subsistentiam non nisi improprie significari contendit; necesse est, dictorum nominum ac præsertim vnitatis ambiguitatem aperire, & quæ sit eorum formalis ac propria significatio declarare.

*Considerandum igitur secundo* est, vnionem siue coniunctionem naturæ humanæ in persona diuina consistere in vnitate, quæ est inter naturam humanam & personam filij Dei; vt hic aduertit Caiet. Sed obseruandum est vnitatem hanc humanæ naturæ & personæ Verbi dupliciter sumi posse: *vno modo* pro rebus vnis quatenus vnæ sunt, id est prout significant naturam humanam & personam Verbi, quatenus in ipsa Verbi personalitate sunt vnitæ; & hoc modo nomen *vnitatis* significat terminum adæquatam assumptionis & vnitionis, qui est substantia composita ex persona Verbi & humanitate; siue Christus Dominus, cuius propria & intima ratio est esse substantiale in compositione consistens: in eadem etiam significatione sumi possunt voces *vnionis & coniunctionis*: *Alio modo* sumitur hæc vnitas pro esse personali Filij Dei cum respectu ad humanam naturam, & ad ipsam Verbi personam, quæ in eo esse sunt in diuisione: ita vt hoc nomē vnitas personalitatis Verbi & humanæ naturæ non includat veluti partes suæ significationis hæc tria, sc. Verbum, humanam naturam, & personalitatem in qua vniantur; sed solā significet personalitatem connotando respectum ad humanitatem & ad Verbum, quæ habent indi-

Relatio.  
Nominibus  
vnionis, seu  
coniunctionis, & vnitatis quatenus  
doque totale, & quatenus  
formale  
sumptis  
terminum  
diuersa ratione signifi-  
cari.

diuisionem in eadem personalitate. Tribus enim modis considerari potest diuini uerbi personalitas seu substantia. *Primo* absolute & sic est uitas uerbi personalis absolute sumpta. *Secundo* cum respectu ad naturam humanam; prout scilicet terminat eius assumptionem & uitionem, & sic est uitas, non tantum personæ uerbi, sed etiam humanæ naturæ; & hoc modo terminus est formalis assumptionis & uitionis, & non includit in sui significato naturam humanam, sed eam connotat ut extrinsecam. *Tertio* modo considerari potest, ut humanæ naturæ communicata & faciens, cum ea compositionem; atque adeo ut persona composita; & hoc modo naturam etiam humanam extrinsecè claudit, & est terminus totalis assumptionis; & ante diximus. Considerandum est enim diuini uerbi substantiam prius modo nostro intelligèdi exercere rationem termini formalis assumptionis, quam habeat rationem substantiæ compositæ: idèd namque substantia uerbi incarnati composita est; quia terminus fuit assumptionis & uitionis. Ex quo patet Suarez. & Vasq. non omnes modos seu rationes substantiæ uerbi & uinitatis eius considerasse, cum secundam omiserint, cuius consideratio facilè soluit propositæ controuersiæ nodum.

*Tertio notandum est*, dupliciter aliquid dici creatum: *Uno modo*, quia secundum se totum & omnes sui partes, vel secundum omnia ad eius constitutionem concurrentia est ex nihilo productum, sicut omnia ad naturalem huius uniuersæ integritatem pertinentia: *Alio modo*, quia totum ipsum per actionem alicuius agentis saltem primi, factum est; licet non omnes eius partes, aut omnia ad eius constitutionem concurrentia sint producta, sicut hoc totum, quod est anima beata vel angelus beatus, est aliquid creatum: licet non omnia ad eius constitutionem concurrentia sint producta, nam ad constituendam animam beatam, vel angelum beatum necessaria est diuina essentia, quæ ut forma intelligibilis uinitatur intellectui animæ vel angeli: hæc autem non est producta; sed est creatrix omnium. Ex his præmissis deduco sequentes conclusiones.

**PRIMA CONCL.** *Terminus assumptionis vel uitionis formalis est aliquid increatum.* Probatur primo. Terminus formalis assumptionis est persona vel substantia uerbi, ut habens seu connotans respectum rationis ad humanitatem assumptam, id est quæ actu assumitur; sed persona siue substantia uerbi est aliquid increatum; ergo. *Secundo* terminus assumptionis formalis est uinitas, id est coniunctio naturæ humanæ in persona diuina consistens in uinitate, quæ est inter naturam humanam & personam Filij Dei: sed hæc uitas est esse substantiale diuinum, quod est substantia uerbi, in qua non distinguuntur sed indiuisæ sunt ambæ naturæ; ergo est aliquid increatum. *Prima* propositio est euidens etiam apud Caietanum & alios. *Secunda* uero probatur; quia unum & uitas non addit super ens naturam aliquam, & unumquodque per illud idem est unum, per quod est ens: at humana Christi natura per esse substantiale, quod est esse personale uerbi, coniungitur diuinæ naturæ & ipsi uerbo, quod est aliquid increatum, & in eo subsistit; ergo illud esse unum, siue uitas esse in quo diuina & humana natura Christi sunt indiuisæ, est aliquid increatum. Maior patet inductiue in omni uinitate, tam accidentali, quam substantiali. Minor est de fide. *Sed ait Suarez.* secundum sententiam Caietani dicentis,

**A** Christi humanitatem existere per solam existentiam increatam, includi in ratione entis entitatè essentiæ & existentia, & unum utramque entitatem includere, & hoc fati esse, ut si altera earum entitatum sit creata, uitas ex eis resultans creata sit. *Sed ait Suarez.* in ianuis; ens enim multiplex est, & analogicè dicitur de essentia & existentia & personalitate, sicut etiam de substantia & accidente, & de materia & forma, & de toto & partibus, & consequenter etiam unum de his omnibus analogicè prædicatur. Cum igitur esse personale, quod est ipsa substantia uerbi, sit formalis terminus assumptionis & uitionis, si unum & uitas nihil addit super ens quocunque modo sumptum, sequitur ut uitas illius esse, quod est terminus formalis assumptionis, in quo indiuisæ sunt ambæ naturæ, sit uitas diuinæ personalitatis, quæ non est uitas resultans sed ab æterno præexistens, & in tempore humanitati communicata. Et quemadmodum ens quamuis analogicè, non tamen improprie dicitur de prædictis omnibus modis; atque idèd etiam de substantia; quatenus terminat assumptionem humanitatis; ita & uitas de prædictis omnibus uinitatibus analogicè, & tamen proprie prædicatur; ac proinde etiam de uinitate substantiæ uerbi, prout terminat assumptionem humanitatis. *Secundo* probatur concl. Uitas personalis uerbi ex hoc, quod humanitati communicatur in tempore, non amittit esse increatum, quod illi conuenit secundum se; ita ut de increata fiat creata; ergo eadem uitas prout est terminus assumptionis & uitionis est aliquid increatum. Antecedens probatur à simili in anima rationali; cuius esse & uitas nullam recipit variationem ex hoc, quod terminat actum generationis & corpori corruptibili communicatur; & si præexistit ab æterno immutata etiam corpori iungeretur.

**SECUNDA CONCL.** *Terminus assumptionis vel uitionis totalis non potest in eo sensu dici creatus, ut secundum se totum, & omnia ad eius constitutionem concurrentia sit ex nihilo factus; quod antiquiores exprimerent dicentes, terminum assumptionis totalem non esse creatum siue productum secundum se totum sine categorematicè.* Probatur hæc conclusio; quia ad terminum assumptionis totalem constituendum concurrunt etiam persona uerbi, quæ non est creata, sed creatrix.

**TERTIA CONCL.** *Idem terminus totalis assumptionis rectè dici potest creatus, id est productus in altero sensu; quia scilicet diuina uirtute factum est, ut uerbum increatum, & humanitas creata simul uerentur, & unum substantiale compositum, quod est Christus constituere, quod est apud antiquiores dicere terminum hunc totalem secundum se totum sine categorematicè fuisse productum.* Probatur hæc conclusio; quia compositum hoc, quod est Christus Deus & homo, cœpit in tempore. Quod significat Ioannes 1. cap. cum ait: *Uerbum caro factum est.* Et idem in Symbolo confitetur Ecclesia dicens: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est.* Et Actorum 2. *Certissime sciat ergo omnis domus Israel; quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis.* & Hierem. 31. *Creauit Dominus nouum super terram; & femina circumdabit uirum.*

**QUARTA CONCL.** *Proprie & absolute loquendo dici non potest terminum assumptionis totalem esse creatum aut increatum.* In hac conclusione conueniunt Asturicensis & Aluarez. Probatur; quia creatum proprie & absolute illud tantum

*Resolutio.*

tum est, quod secundum se totum, & omnia ad eius constitutionem concurrentia productum est ex nihilo: at non omnia ad terminum Incarnationis totalem constituendum concurrentia sunt ex nihilo producta; ergo. Maior patet ex communi Theologorum consensu & usu: Minor vero probatur: quia verbum, quod est principium in constitutione termini totalis assumptionis est quid increatum: Ex quo sequitur, quod sumendo creatum strictè & propriè, & increatum prout opponitur, creato hoc modo sumpto, non potest verè dici omne ens esse creatum vel increatum; quia compositum hoc substantiale, quod est Christus, non est quid creatum neque increatum in eo sensu, & similiter hoc totum, quod est anima beata, ut ostendimus.

**ULTIMA CONCL.** Si questio non sit de re, sed de modo loquendi; siue de propositionis veritate & proprietate, dicendum est, Christum siue Christi personam non esse creatam sed increatam. Probatur; quia subiectum harum propositionum non supponit pro natura humana, neque pro composito ex humanitate & persona Verbi: sed tantum pro persona Verbi, quæ est increata. Sed de hoc *inf. q. 16.* dicemus vberius.

**CONTRA primam concl.** est argument. quod facit & soluit Caiet. *in a. præc.* Et alia quatuor argumenta, quæ producit & soluit Med. *super eodem art. dub. seu quest. 1.* Contra eandem concl. argumentatur Vasq. *Primo:* Licet vinculum vnitatis, in quo dicitur facta vnio, sit increatum, cum sit personalitas Verbi; tamen vnitas ipsa non est Verbi personalitas, sed sicut vnus Christus constat duabus naturis; ita etiam vnitas est duarum naturarum conuentus; ergo. *Resp.* falsum esse antecedens; nam, ut supra diximus, vnitas analogicè dicitur; & sicut esse personale, seu personalitas Verbi est personalitas duarum naturarum; ita est earundem vnitas; quia vnitas nihil addit super ens.

**Secundo,** cum quærimus. Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit quid creatum an non? non quærimus an de Christo posito ex parte subiecti verè enuncietur ratio creati; scienim nõ supponit pro composito ex duabus naturis; sed tantum pro persona Verbi: sed quærimus, vtrum illud compositum quod vnum dicitur secundum se, & non tantum per communicationem idiomaticam sit quid creatum an increatum? igitur quocumque modo velimus explicare hanc vnitatem & conuentum duarum naturarum in Christo, dicendum est, totum hoc compositum, quod in tempore incipit esse & re vera producit, esse quid creatum &c.

**Resp.** Falsum esse antecedens, quo ad secundam illam partem: videlicet *Sed quærimus &c.* Cum enim quæsitum illud vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit quid creatum analogam habeat significationem, quo ad illam vocem vnio distinguendum est vt quæsitio benè satisfiat. Potest enim quæri de vnione id est vnitate quæ terminus est formalis, & de vnitate quæ terminus est totalis, & de vnitate quæ est relatio ex prædictis vnitatibus vt fundamentis resultans. Et hoc tertio quidem modo est aliquid creatum, vt ait S. D. *in artic. præceden.* primo verò modo est aliquid increatum, vt ostendimus. Secundo verò modo, si propriè sumatur creatum, non est aliquid creatum aut increatum, sed aliquid habet creatum, & aliquid increatum: sumendo verò creatum pro producto, vnitas secundo modo sumpta est aliquid creatum quoad eius esse totale, licet non quoad omnia ad eius constitutionem concurrentia.

**CONTRA alias conclus.** non sunt argumenta, quæ sint alicuius momenti.

#### QVINTA CONTROVERSA.

Quod sit fundamentum vnionis, quæ est relatio inter humanitatem & Verbum, vel diuinitatem?

**SCOTVS** in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. cuius sententiam sequitur & tuetur Rada in sua 3. part. *Controu. 3. art. 4.* Docet nullam entitatem absolutam causari in humanitate per actionem vnendi, quæ sit proximum fundamentum vnionis, quæ relatio est.

**Vasq.** *disp. 18. c. 4.* ex eo, quod dixerat in cap. 3. nimirum modum aliquem substantialem relationum esse constituendum in humana natura, quo Verbo formaliter vniretur, deducit huic modo substantiali frustra nouum aliquod fundamentum ab eo distinctum assignari: nullam autem aliam relationem præter illam substantialem videtur agnoscere Vasq. in humana natura respectu Verbi.

**Sua.** *disp. 8. sect. 2. §. dicendum,* ait proximum fundamentum dictæ relationis esse modum absolutum substantialis coniunctionis humanitatis ad Verbum.

**Caiet.** in a. 7. docet, vnionis, quæ relatio est inter humanam & diuinam naturam, causam & fundamentum esse vnitatem personalem vtriusque naturæ: in hoc autem articulo in *soluzione quinti dubij*, ait relationem vnionis fundari super hoc ente substantiali absoluto; quod est Deum esse hominem. Priorem modum dicendi Caietani sequitur Medina in *quest. sua 2. ad hunc art. Valentia puncto 5. & Aluarez disput. 13.* duo tamen addit Medina. *Primum* est, duas alias opiniones esse probabiles: vna est affirmans fundamentum dictæ relationis esse humanitatem, non absolute sed vt est assumpta & coniuncta Verbo diuino & suscipit esse diuinum; quam sententiam sequitur & acriter defendit contra Caietanum & alios quidem iunior Thomista vir doctissimus: Altera est Victoria dicentis, primò naturam diuinam & humanam esse vnitas in Christo; quia habent vnum esse: Et ideò vnitatem hanc non esse relationem sed absolutam. Secundo humanitatem dici vnitam Verbo Dei; quia fuit assumpta ad esse Verbi Dei; & assumptionem hanc passiuam esse fundamentum relationis create; quæ vocatur vnio. *Secundum* quod addit Medina est, duplex esse fundamentum relationis: alterum est ratio fundandi: alterum est fundamentum principale: exempli gratia, in paternitate ratio fundandi est generatio actiua: fundamentum verò principale est potentia generatiua: & in re proposita similiter (inquit) ratio fundandi relationem vnionis est assumptio passiuam humanitatis ad Verbum diuinum: sed fundamentum principale est vnitas personalis Verbi diuini. Tertium est relationem hanc vnionis non distinguere à fundamentum.

Ex ijs quæ diximus in duabus proximis *Con-* Resolution. trou. colligitur huius etiam controuersiæ definitio. Et quia Thomistarum opiniones ex Medina relatae multum videntur à Caietani sententia differentes. Et Caietanus ipse in hoc, & in præcedenti articulo videtur varia docuisse; cum tamen iudicio meo in nullo dissident opiniones prædictæ: & idem vtrobique senserit Caietanus; ideò consensum eorum pro viribus nitentur ostendere.

Ad cu-